



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

2. Vtrum ab omnibus indiuiduis possit abstrahi aliqua ratio omnibus communis.
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

non poterit formare ullam orationem, qua eum ut sic explicet, sicut nec poterit etiam formare in mente sua vllum conceptum de Petro, quo conceptum possit ipsum discernere ab omni alio humano indiuiduo. Poterit quidem ipsum distinguere ab indiuiduis non humanis concipiendo ipsum, & exprimendo, ut hominem; sed à Paulo, etiam simul existente cum alia etiam forma & figura, non poterit ipsum aut concipere aut describere conceptu aut descriptione sufficiente ad colligendum quod sit indiuiduum distinctum à Paulo; nam si Deus poneret eundem Petrum eodem tempore in alio loco cum diuersa forma & figura (ut fortassis potest de potentia absoluta, quemadmodum multi tenent) profecto eodem conceptu & descriptione, ac discursu, quo colligeretur Petrus distinguere à Paulo, colligeretur distinguere à seipso; unde cum male ex illa descriptione concluderetur Petrum distinguere à seipso, male etiam colligeretur ex illa, quod distingueretur à Paulo.

Sed quidquid sit de illo casu, certe Deus posset aliud indiuiduum tam simile quoad omnia Petro pro eodem tempore producere, ut nemo posset discernere vnum ab altero, & consequenter nemo potest describere vnum descriptione sufficiente ad hoc, ut posset ab altero illo discerni.

8. *Obiicies secundò.* Indiuiduum est communicabile pluribus, quorum quodlibet sit ipsum; diuiditur enim in hoc & illud indiuiduum; quæ faciunt numerum indiuiduorum, de quorum quolibet verum est quod sit indiuiduum diuisum in illa, non minus quàm diuiditur homo in Petrum & Paulum; ergo male dicitur in definitione seu descriptione præmissa, quod sit illud quod non possit sic multiplicari; & consequenter illa definitio non est bona.

Respondeo distinguendo antecedens: indiuiduum formaliter consideratum, hoc est, ut dicitur inepititudinem illam inexistendi pluribus, est communicabile; quia possunt dari huiusmodi plures inepititudines similes sibi, saltem proportionaliter, concedo antecedens; indiuiduum materialiter consideratum, hoc est quælibet aut vlla res, quæ dicitur indiuiduum secundum alia prædicata realia est sic communibilis, nego antecedens: & distinguo similiter consequens: male dicitur quod indiuiduum, secundum quod indiuiduum formaliter, sub conceptu scilicet inepititudinis illius, sit sic communicabile, concedo, sed nego id dici in prædicta descriptione; male dicitur quod indiuiduum materialiter acceptum, id est, illa res, quæ dicitur indiuiduum, ut Petrus v.g. aut Paulus, aut hæc albedo, sit sic incommunicabilis, nego consequentiam.

Itaque quando dicimus quod indiuiduum sit incommunicabile, sensus non est quod indiuiduum sit incommunicabile secundum hanc vel illam rationem; sed quod quælibet res, quæ dicitur indiuiduum, sit simpliciter incommunicabilis, ita ut nulla talis res, quæ dicitur indiuiduum, possit dici simpliciter communicabile secundum alia sua prædicata præter ipsammet incommunicabilitatem.

QVÆSTIO II.

Verum ab omnibus Indiuiduis possit abstrahi aliqua ratio communis.

Resolutio huius quæstionis, præterquam quod in se sit utilis, multum lucis afferet resolutioni quæstionis præcedentis: non est autem quæstio, an ab omnibus indiuiduis aliqua ratio communis quomodocumque possit abstrahi: nam certum est quod ab omnibus indiuiduis animalis possit abstrahi ratio communis animalis, & ab omnibus indiuiduis hominis ratio communis hominis, & ab omnibus indiuiduis possibilibus quarumcunque specierum ratio communis entis, præsertim in sententia nostra asserentium quod omnes res cōueniant vniuocè in conceptu entis. Sed sensus quæstionis verus est, an ab omnibus indiuiduis abstrahi possit aliqua ratio communis; quæ ratio communis sit indiuiduum, & ratione cuius omnia, quæ sunt indiuidua, habent esse talia.

Prima sententia est indiuidua conuenire eodem modo in conceptu aliquo, quo omnes homines conueniunt in conceptu communi hominis. Ita *Huradus* sect. 7. de

specie, Auerſa q. 9. sect. 11. qui tamē dicit illum conceptum communem singularis ut sic, in quo conueniunt singularia omnia, non esse conceptum perfecte præcise à rationibus particularibus, quibus contrahitur, quod etiam tenet de conceptu communi hominis & similibus omnibus conceptibus communibus.

Secunda sententia est singularia non conuenire in aliquo vno conceptu communi, qui sit singularis, ut sic, sicut conueniunt omnes homines in conceptu communi. Ita *Scotus* 2. dist. 3. q. 6. cum suis communiter, quos sequuntur *Suares* disp. 5. *Aet.* sect. 2. *Fonseca* 5. *Met.* c. 6. q. 5. & alij plures.

Circa hanc autem sententiam aduertendum quod aliqui Scotistæ vtantur distinctione quadam; dicunt enim in indiuiduis metaphysicis, de quibus hic agimus, duo posse considerari, & naturam ipsam ut afficitur hæcitate; quæ natura ut sic denominatur indiuidua; & modum incommunicabiliter existendi, qui sequitur ad talem naturam, & est à quo formaliter denominatur indiuiduum. Hoc supposito dicunt ab ipsis naturis nihil abstrahi, quod possit de iis prædicari in quid, & sit indiuiduum aut natura indiuidua, bene tamen ab iis posse abstrahi aliquam rationem, in qua conueniant, & quæ de ipsis prædicari possit in quale, seu denominatiue. Deinde ulterius addit quidam Scotista, posse ab ipsis hæcitatibus, quas formaliter dicunt indiuidua, abstrahi rationem communem, in qua conueniant.

CONCLUSIO I.

10. *Non potest abstrahi aliqua ratio communis à singularibus, quæ sit singularis & prædicabile de omnibus singularibus realiter consideratis, hoc est de Petro & Paulo, & hac albedine & hac quantitate.* Hæc est iuxta secundam sententiam, & probatur manifeste primò, quia eo ipso quo illa ratio abstracta esset communis omnibus illis, non esset singularis, sed vniuersale non minus, quam natura humana est vniuersalis ex eo, quod sit ratio sic abstracta & communis: ergo esset, & non esset singularis, quod implicat.

Confirmatur, quia ideo natura humana abstracta & communis omnibus hominibus est vniuersale metaphysicum, & non singularis; quia est sic communis: ergo si ista ratio abstracta ab omnibus singularibus sit communis, non erit singularis, sed vniuersale.

Confirmatur secundò, quia ideo Petrus v.g. est singularis & non vniuersale, quia non est communis pluribus, quorum quodlibet sit ipsum; ergo si illud abstractum à singularibus sit commune pluribus indiuiduis, quorum quodlibet sit ipsum, sequitur manifeste quod non sit indiuiduum. Nec potest hic responderi, quod dicatur vniuersale, secundum diuersos respectus; nam singularis metaphysicè non debet esse secundum vllam rationem commune, ita ut prædicetur in quid de pluribus, quorum quodlibet sit ipsum; sicut nec vniuersale debet secundum vllam rationem esse tale, quin secundum se semper possit prædicari de pluribus. Deinde non possunt ostendi isti plures respectus, secundum quorum vnum illud commune esset singularis, & secundum alterum singularis.

Probatur secundò, argumento Scoti, quia si à singularibus, quæ talia sunt, posset abstrahi aliqua ratio communis, illa ratio deberet contrahi ad singularia hoc & illud, sicut animalitas in comuni contrahitur ad brutum & hominē per rationalitatem & irrationalitatem; & sicut humanitas ipsa contrahitur ad Petrum per Petreitatem, & Paulum per Pauleitatem; sed hoc fieri non potest, quia alias daretur progressus in infinitum, nam quemadmodum Petro & Paulo potest dari ratio communis singularis ut sic, propter similitudinem, quam videntur habere, ita etiam pari ratione à differentiis contrahentibus illud singularis potest dari alius conceptus communis; nam similem habent proportionem; & ille conceptus communis erit contrahibilis per alias differentias, quæ rursus conuenient in alio conceptu communi contrahibili, & ita in infinitum: quo argumento postea vtetur ad ostendendum, quod differentia vltimæ non cōueniant in vllò conceptu communi, sed seipsis totaliter distinguant.

Quo sensu indiuiduum est communicabile & incommunicabile.

Sensus quæstionis.

Non potest abstrahi ratio communis, quæ sit singularis.

distinguuntur, quamuis habeat aliquam proportionem; de quibus propterea idem dicendum ac de hæceitatibus ac singularibus, quæ talia formaliter.

Concedit Auerſa propter hoc argumentum, non conuenire singularia in aliquo conceptu perfecte præciso à rationibus particularibus illorum; unde fortassis in re non disconuenit in hac conclusione, nisi quatenus supponit hoc non obstante, quod eodem modo conueniant singularia in conceptu communi, quo omnes homines in ratione communi hominis: quod nequit esse verum, quia ratio hominis in communi perfecte præscindit ab indiuiduis.

12. *Probatur tertio*: quia si daretur aliqua ratio communis indiuiduis, ut sic, quæ ratio esset indiuidua, daretur aliqua ratio vna communis omnibus naturis indiuiduatis; sed hoc est absurdum, ergo & illud. Probatur sequela maioris, tum quia omne indiuiduum dicit naturam materialiter & indiuidualitatem formaliter, ergo indiuiduum ut sic dicit aliquam naturam materialiter: sed non naturam aliquam determinatam, v.g. humanitatem, aut brutalitatem, ut est euidentis, ergo naturam aliquam communem omnibus naturis determinatis. Probatur minor principalis, quia non potest assignari, quænam sit illa natura communis, nec potest ullus effectus in rerum natura assignari, in ordine ad quem deferretur.

Dices deferuere in ordine ad fundandam illam singularitatem in communi.

Contra, quia absurdum est ponere aliquam naturam realem in rerum natura, quæ non habeat aliud munus, quam fundare singularitatem illam communem; & quæ admodum omnis natura, quæ fundat singularitatem in particulari, habet aliquod munus reale & physicum præter fundare illam singularitatem, v.g. humanitas habet esse principium operationum sensitiuarum & rationalium, & ita de cæteris naturis inuenietur: sic etiam natura communis omnibus naturis singularibus debet habere aliquod munus physicum præter hoc, quod est fundare singularitatem in communi. Quo argumento vsus sum supra ad probandum, quod non detur aliqua natura communis omnibus naturis vniuersalibus, quæ talibus, neque omnibus naturis genericis.

Confirmatur hæc probatio quia indiuiduum illud commune habet singularitatem in communi, quæ constituitur in esse tali formaliter: ergo illa singularitas debet habere aliquam naturam sibi correspondentem, quam faciat singulare: ergo si non potest assignari talis, non dabitur tale indiuiduum in communi.

Probatur quarto, quia si Petreitas poneretur non conuenire in vilo conceptu communi cum Pauleitate, adhuc faceret totam humanitatem Petri singularizatam, & constitueret ipsum Petrum singularem formaliter: ergo frustra assignatur conuenientia ipsius cum Pauleitate in aliquo communi.

CONCLUSIO II.

13. *Non potest aliquis conceptus positius abstrahi à singularitatibus, qui & multiplicetur in ipsis, & prædicetur de ipsis in quid, aut quale, habeatque rationem singularitatis, aut constituat indiuiduum aliquod ut sic.* Hæc videtur esse contra aliquos Scotistas: & probatur, quia singularitates, ut singularitates, sunt primo diuersæ sicut ipsæmet singularia formaliter loquendo; ergo non potest ab eis abstrahi aliqua ratio communis positia vilo modo prædicabilis de ipsis, quæ sit singularitas, aut constitutum formale singularis ut sic. Antecedens patet ex dictis conclusione præcedenti.

Confirmatur efficaciter, quia si abstraheretur aliqua ratio ab ipsis, quæ esset singularitas, profecto illa ratio esset prædicabilis de ipsis in quid, & non solum in quale quid; sed aduersarij fatentur non posse abstrahi ab illis aliquam rationem prædicabilem in quid, sed solum in quale quid: ergo non potest admitti aliquid abstrahibile ab ipsis, quod sit singularitas, aut constitutum formale indiuidui ut sic.

Quamuis autem Scotus 1. dist. 26. quæst. unica num. 6. non neget aliquid positium commune prædicabile in

quale abstrahi posse ab vltimis differentiis, tamen non asserit ibi quod aliquod tale possit abstrahi, sed ex modo loquendi suo videtur data opera abstinere voluisse ab illa difficultate. Verba ipsius sunt. *Et ideo omne commune abstractum ab eis* (scilicet ab vltimis differentiis) *vel est conceptus omnino negatiuus, vel saltem non est quidditatiuus vnius rationis.* Vbi aduerte ly *saltem*, per quod videtur voluisse abstrahere ab illa difficultate, an conceptus non quidditatiuus possit abstrahi ab illis. Et licet rursus n. 8. ad finem illius quæstionis dicat: *Potest dici, quod ab indiuiduis non tantum potest abstrahi species, quæ dicit quidditatem indiuiduorum, sed etiam aliquid proprium;* tamen non dicit hoc asseritue, sed dubitative, ut patet ex illo modo dicendi *potest dici*, quo frequenter vtitur, quando absolute non resoluit difficultatem, sed quasi dubitat de ipsa. Et præterea non dicit illud proprium indiuidui esse singularitatem, aut constitutum indiuidui ut sic. Per quod ruit fundamentum aduersariorum, qui dicunt suam sententiam esse expressam doctrinam Scoti.

14. Sed neque bene intellexisse videntur vltima verba iam citata à Scoto, dum dicit nimirum, quod aliquod proprium possit abstrahi ab indiuiduis: nam hoc intelligunt de proprietate aliqua quarti prædicabilis; sed Scotus videtur omnino loqui de aliquo proprio, hoc est particulariter competente indiuiduis, quæ talia sunt, siue illud proprium sit proprietas quarti prædicabilis, siue non sit, sed aliquid essentiale.

Nec etiam satisfaciunt difficultati communi, quæ sibi proponunt contra suam doctrinam, nempe quod si competeret indiuiduis aliqua proprietas communis, deberet pariter competere aliquod prædicatum essentiale commune, à quo formaliter emanaret illa proprietas communis quia omnis proprietas communis multis supponit aliquod prædicatum essentiale commune multis; ergo si non competit ipsis aliquod prædicatum essentiale commune, neque competit ipsis aliqua proprietas communis.

Respondent ipsi negando sequelam, & distinguendo eius probationem: si illa passio communis sequatur ad prædicatum commune, concedunt: si non sequatur, negant.

Sed certe hæc responsio non est satis commoda, quia quando proponitur vniuersaliter, quod omnis proprietas sequatur ad prædicatum essentiale commune, distinguere illam propositionem vniuersalem de proprietate sequente prædicatum commune, & proprietate non sequente, cum intentum propositionis esset excludere proprietates non sequentes, videtur minus commodum.

Itaque potius deberent negare absolute antecedens probationis. Sed si illud negarent adhuc probari posset hoc modo: non maiorem habent similitudinem aut proportionem illa indiuidua inter se in illis proprietatibus, quam in naturis, ut fundant & principiant illas proprietates: ergo si conueniunt in aliqua proprietate communi, etiam conueniunt in aliquo prædicato essentiali communi, ad quod sequuntur illæ proprietates. Probatur consequentia, quia ideo dicuntur conuenire in proprietate communi, quia proprietates particulares eorum habent similitudinem aut proportionem inter se: ergo si naturæ eorum, ut fundant illas proprietates, habent tantam similitudinem, debent dici conuenire in aliquo conceptu quidditatiuo communi.

Et sane quomodocumque responderi potest quod ex similitudine naturarum, ut fundant illas proprietates, non sequatur aliquod prædicatum commune. *Respondere* etiam poterit, ex similitudine proprietatum ad illas naturas sequentium non sequi quod detur ipsis aliqua proprietas communis.

15. *Obiicies primo*: effectus formales eiusdem rationis non possunt provenire, nisi à causis formalibus eiusdem rationis: sed à Petreitate & Pauleitate pronueniunt effectus formales eiusdem rationis, tanquam à causis formalibus: ergo ipsæmet sunt eiusdem rationis, & consequenter potest ab ipsis abstrahi aliquis conceptus communis, sicut potest à Petro & Paulo abstrahi humanitas, quia sunt eiusdem rationis in esse hominis. Probatur minor, quia utraque reddit formaliter naturam humanam singularizatam

L 3 cum

Non datur conceptus aliquis communis positius omnibus indiuiduis, in quid, aut quale.

Expositio Scoti.

cum ipsa faciens vnum per se incommunicabile vltius cum multiplicatione.

Confirmatur, quia Petreitas dicitur singularitas ex eo quod singularizet naturam, & Pauleitas etiā: ergo utraque conueniunt in conceptu singularitatis vt sic.

Confirmatur secundo, quia descriptio præmissa indiuidui conuenit vniuoce omnibus indiuiduis, vt talia: ergo conueniunt in ratione indiuidui vt sic.

Respondetur cōmuniter distinguendo maiore: effectus formalis eiusdē rationis nequit prouenire nisi à causis formalibus eo modo eiusdē rationis, quo effectus sunt eiusdem rationis, concedo; alio modo, nego maiore. Similiter distinguo minore: effectus eiusdē rationis, quantum ad proportionē aliquam, & similitudinē non exigentem aliquod prædicatū positium cōmune vtriusque, & ab illis præscindens, cōcedo minore; effectus formales eiusdem rationis quantum ad proportionem & similitudinē exigentem aliquod vnum prædicatum positium commune ipsis, & ab ipsis præscindens, nego minore; nec probatur sufficēter in hoc sensu, & distinguo consequens: ergo ipsæmet erunt eiusdem rationis quantum ad similitudinē & proportionem non exigentem aliquod prædicatum positium commune & præscindens, concedo consequentiā, quantum ad aliam similitudinē exigentē tale prædicatum, nego consequentiā.

16. *Ad primam confirmationem*, nego consequentiā, quia utraque potest dici singularitas ex eo quod singularizet, sine conuenientia in aliqua formalitate positua cōmuni.

Ad secundam confirmationem, distinguo antecedens: cōuenit vniuoce ipsis, quasi per eam definiretur aliquod vnu præscindens ab indiuiduis in particulari, quod vnu in illis indiuiduis reperiretur secundū eandem rationē, nego antecedens; cōuenit ipsis vniuoce, quatenus omnia indiuidua indeterminate cōcepta, vt habēt similitudinē non exigentē prædicatum commune, &que primo per illam definitionē explicantur, & potest dici de quolibet ex illis, quod sit incommunicabile, concedo antecedens & distinguo etiam consequens: cōueniunt in aliqua ratione cōmuni vna & determinata, nego consequentiā: in aliqua ratione importante plura indeterminate, concedo consequentiā: nec hoc facit contra conclusionē.

17. Pro cuius maiori declaratione aduertendum quod aliquando soleat explicari conceptus aliquis determinatus vnus, vt cum dicitur: homo est animal rationale, aliquando vero solet explicari aliquis conceptus inuoluens plura etiam explicite, sed indeterminate, vt si quis vellet explicare hunc conceptum, quem haberet de aliquo animali, quod deberet esse vel rationale vel irrationale: dicendo, quod deberet esse vel potens discurre, vel impotens discurre. Quando explicatur primus conceptus, ea, quibus conuenit illa explicatio, debent conuenire in eodem cōceptu explicato per illam, & sic conuenit Petrus & Paulus in homine, quia definitio eius explicat vnā rationē determinatam, & conuenit ipsis. Quando explicatur secundus conceptus non debent illa, quibus conuenit explicatio & conceptus per illam explicatus, conuenire vniuoce in aliquo vno; nam licet verum sit quod hoc animal, assignando hominem, sit rationale vel irrationale, & illud alterum animal, assignando bucephalum, sit etiam rationale vel irrationale; tamen certum est quod non conueniunt ista animalia in aliquo conceptu vno positivo & determinato significato per illud prædicatum *rationale vel irrationale*.

Modò tota difficultas restat in colligendo quando describitur aut declaratur aliquis conceptus vnus determinatus, & quando non. Nam licet quando in explicatione ponitur coniunctio *vel* aut *aut*, vel aliquid simile, facile possit intelligi, quod explicentur plura indeterminate; tamen quando in explicatione non ponitur talis particula, vt contingit in definitione indiuidui præmissa, id non adeo facile est.

Confirmatur hæc difficultas, quia eo modo, quo nos dicimus quod indiuidua non cōueniunt in aliqua ratione cōmuni, & quod per definitionem indiuidui, vt sic, non

explicetur aliquid vnum determinatum, similiter posset quis dicere quod omnes homines non cōueniunt in ratione aliqua cōmuni hominis, & quod per definitionē hominis cōuenientē ipsis non explicetur aliquid determinatū, & sic tolleretur omnis vniuocatio perfecta ac omnis præcisio graduum superiorum ab inferioribus.

Ad hanc difficultatem respondetur colligendum esse quando cōcipitur, aut explicatur conceptus vnus determinatus, vel experientia ipsiusmet concipientis, qui in se per reflexionem potest aduertere, an vnum determinate, an verò plura indeterminate concipiat & explicet: vel certe currēdum est ad discursum, si experientia non sufficiat; & videndum est, an vnitas indeterminata conceptus illius posset dari: & si videatur quod sic, dicendum est quod sit vnus, si videatur quod non, dicendum quod non sit vnus, sed plures indeterminate. Vnde quia ex rationibus nostræ conclusionis sequitur non posse indiuidua, nec eorum hæcceitates conuenire in aliquo conceptu vno determinate, qui sit indiuiduum, aut hæcceitas, negandum est quod indiuiduum vt sic, dicat vllam rationem vnā, sed plures rationes indeterminate; & consequenter dicendum de eius definitione, quod non sit definitio vnus determinati, sed plurium indeterminati. Quod si aliquis existimet se experiri in suo intellectu vnum conceptum determinatum, dum concipit indiuiduum vt sic, reduci debet per discursum ad corrigendam suam imaginationem & experientiam, sicut reduci deberet is, qui existimaret baculum, qui apparet fractus in aqua, esse reuera fractum.

Et per hoc patet ad confirmationem, cuius sequela est neganda, quia habemus rationes, quibus colligimus indiuiduum, vt sic, non esse aliquid vnu præscindens ab indiuiduis: non habemus autē tales, ad dicendū quod homo vt sic, non sit quid vnum determinatū præscindens ab indiuiduis, quia talibus, imo habemus rationem vnde colligamus quod reuera præscindat ab illis, quia si non præscinderet ab indiuiduis, quia talibus, omnia indiuidua essent homines, nam omnia indiuidua, quia talia, &que deberent includere humanitatem, si non præscinderet humanitas ab omnibus indiuiduis, quia talibus. Vnde eneruatur totū fundamētū *Auersa* supra sect. 11. quo vtitur ad probandū quod natura humana non præscindat perfecte à singularitatibus, sicut singularitas vt sic nō præscindit perfecte à singularitatibus in particulari.

18. *Hæc est responsio cōmuni* Scotistarū, quæ tamē mihi semper visa fuit difficilis, quia videbatur mihi sternere viam ad negandā præcisionē obiectiui entis à suis inferioribus & aliorū etiā gradū cōmuniū: tam quæmadmodū dicuntur indiuidua omnia conuenire in vna ratione & describi posse vna definitione; quamvis nullus cōceptus sit abstrahibilis ab illis, in quo cōueniunt vniuoce, & quamvis nō habeat similitudinē, ex qua inferri possit talis conceptus abstrahibilis, ex eo scilicet quod habeat proportionē quandā inter se, vt dicitur in tota hac responsione: ita sane posset dici, quod omnia entia cōuenirent tantū proportionaliter in ratione entis, & quod inde nō sequatur, quod illa ratio entis sit ratio vna abstracta ab illis. Et quemadmodum dicitur quod omnia indiuidua nō cōueniunt in conceptu aliquo determinato indiuidui, sed in indeterminato: ita etiā posset dici quod omnes homines nō cōuenirent in vno conceptu determinato hominis, sed in indeterminato: nam quantum ad experientia cōcipientis, si quis aduerterit, nō inueniet prorsus in suo cōceptu de homine, vt sic, maiore determinationē, quā de indiuiduo vt sic. Nec refert quod non sit tā incōueniens, quod omnes homines cōueniāt in ratione hominis vt sic, aut omnia entia in ratione entis abstracti & præcisi, quā quod cōueniant omnia indiuidua in ratione indiuidui vt sic, ob rationes præmissas pro cōclusionē, quæ id probat de indiuiduis, non probat vero de hominibus, aut entibus. Nā quāvis hoc sit verū, & propterea non possit probari quod entia omnia non cōueniant vniuoce in ratione abstracta entis, aut omnes homines in ratione abstracta animalis; tamē, non potest afferri vlla ratio, ab quam colligatur, quod

Aliquan-
do des-
cribitur
cōceptus
determin-
atus, ali-
quando
indeter-
minatus.

Quomo-
do possit
colligi
quis cō-
ceptus
describi-
tur.

Impu-
gnatur
prædicta
responsio.

quod conueniant in conceptu determinato, aut quod habeant aliam similitudinem quam proportionis, supposita hac doctrina.

Itaque respondeo aliter, concedendo quod singularitates, ac indiuidua omnia, quæ talia, sint conceptibilia conceptu tã determinato, quã omnes homines quæ homines; & quod etiam sint tam similia inter se & definibilia vna definitione vniuoce competere ipsis, quemadmodum omnes humanitates, vt præcindunt à singularitatibus, sunt definibiles & similes, quia est eadẽ ratio de omnibus quantũ ad hoc: sed nego tamen ultimã consequentiã, quæ facit cõtra conclusionẽ, nẽpe quod inde sequatur, quod conueniant in aliqua ratione abstracta ab ipsis & præcisã, sicut nec omnes humanitates, vt abstrahuntur à singularitatibus, conueniunt in aliqua vna humanitate abstracta ab ipsis. Cuius ratio est, quia quotiescunq; datur vna ratio abstracta, & præcisã ab aliquibus, debet esse alia ratio distincta, à qua præcinditur, & per quam contrahatur ad illa, à quibus præcinditur. In humanitatibus autem, vt præcindunt à singularitatibus, non datur aliqua ratio, per quã contrahatur ad ipsas humanitas vt sic abstracta ab illis; & idem est de singularitatibus, & indiuiduis vt mihi manifestũ apparet; & hinc fortassis proprius diceretur quod humanitates omnes, vt sic, essent vna ratio, quã quod cõuenirẽt in vna ratione, quod etiã de singularibus, quæ talia sunt, dicendũ esset; nimirũ quia sunt omnino sub illa ratione similia sic, vt intellectus nõ possit reperire vllã differentia inter illa, vt sic cõsiderata, magis, quam si reuera essent vnũ numero realiter loquendo. Per quod etiam patet, ad duas confirmationes distinguendum esse vtriusque consequens: in ratione indiuidui vt sic, abstracti, nego, quia non datur talis ratio: conueniunt in ratione indiuidui vt sic, quatenus sunt similia in ratione indiuidui, & conceptibilia eodem conceptu, concedo consequentiã.

19. *Obiicies secundò* aliquis posset esse certus de aliquo homine, quẽ videret à longe, quod esset indiuiduũ humanũ, & incertus, an Petrus vel Paulus; ergo conceptus indiuidui humani est præcindens, & distinctus à conceptu indiuiduorum in particulari, & cõmunis ipsis vniuoce & intrinsece inclusum in illis. Probatur cõsequentiã, quia de eodẽ conceptu nequit intellectus esse certus & incertus: ergo cõceptus indiuidui humani, de quo certus est intellectus quod sit ibi, in casu proposito est distinctus à conceptu Petri, de quo est incertus an sit ibi.

Confirmatur, quia hoc argumẽto probat Scotus in 1. dist. 3. & 8. vniuoctionem & præcisionem entis vt sic ab omnibus entibus in particulari: ergo vel valet ad propositum præsens, vel non valet ad propositum Scoti.

Respondetur communiter, distinguendo antecedens: potest esse certus quod sit indiuiduum humanum habendo aliquem conceptum vnum determinatum de illo indiuiduo, nego antecedens: habendo aliquem conceptum indeterminatum & vagum, concedo antecedens, & distinguo consequens: est præcindens & distinctus per modum alicuius determinati, nego consequentiã, per modum indeterminati, concedo consequentiã: & ad probationem dico aliquem non posse esse certum & incertum determinate de aliquo conceptu: bene tamen posse esse certum indeterminate de aliquo conceptu, quatenus scilicet certum est ipsi quod ille conceptus vel alius aliquis existat; & tamen esse incertum determinate de illo conceptu, quatenus ignorat an ille determinate existat potius quam alius.

Ad confirmationem dicitur, Scotum vt iſto argumẽto ad probandum vniuoctionem entis, supponendo conceptum entis, de quo aliquis posset esse certus, esse determinatum, & ex ista hypothesi concludit bene vi istius argumẽti, quamvis nihil possit concludere in casu nostro, in quo conceptus, de quo habetur certitudo, est indeterminatus, vt dixi.

Hæc etiam responsio patitur eandem difficultatem cum responsione communi ad obiectionem præcedentem: nam omnino tam determinatus est cõceptus quẽ aliquis habet de alio, quod sit indiuiduum, non cognoscens quod-

nam indiuiduum sit, quam ille, quem habet de aliquo, quod sit animal aut ens, non cognoscens quod animal aut quod ens, cuius oppositum supponitur, aut dicitur in hac responsione.

Respondeo ergo aliter, distinguendo consequentiã conceptibus indiuiduorum in particulari, qui sint cõceptus proprii & per se eorum, nego consequentiã: qui sint conceptus eorũ cũ ordine ad rationes aliquas accidentales, concedo consequentiã. Itaque quando intellectus cõcipit aliquid sub cõceptu alicuius hominis singularis, habet hunc conceptũ quod illa res sit homo indiuisibilis in plura inferiora, & quando concipit indiuiduũ determinatum hominis, v.g. Petrum, supra primum conceptum non habet nisi conceptum hominis indiuisibilis talis, v.g. albi vel nigri, vel Religiosi, vel Hiberni, vel nati ex talibus parentibus; ille autem conceptus non est proprius & per se conceptus illius indiuidui, sed omnino accidentalis ipsi: posset enim competere aliis indiuiduis, vt est manifestũ: ergo conceptus indiuidui, vt sic, non est distinctus à conceptu per se indiuidui in particulari vllius: licet sit distinctus à conceptu accidentario, qui haberi posset de aliquo indiuiduo in particulari. Quod ex dicendis in Metaphysica de præcisione entis magis adhuc patebit. Ad probationẽ consequentiã dico, quod intellectus nõ possit esse certus & incertus de eodẽ cõceptu: & concedo quod sit certus, quod res, quã videt sit indiuiduũ humanũ: nego tamẽ quod sic sit incertus an sit tale indiuiduũ humanũ secundũ proprium & per se conceptũ talis indiuidui, quia nõ habet pro hoc statu talẽ conceptũ de indiuiduo, sed est incertus an sit tale indiuiduũ secundũ conceptũ nõ propriũ talis indiuidui, sed accidentale; nec est inconueniens quod detur conceptus indiuidui vt sic, abstractus & præcisus à conceptibus nõ propriis, sed accidentalibus, qui haberi possunt de indiuiduis in particulari, sicut potest haberi cõceptus eiusdẽ indiuidui abstractus à variis aliis conceptibus, qui haberi possunt de ipso, etiam vt indiuiduo.

Ad confirmationem dico Scotum probare vniuoctionẽ & abstractionem entis ex eo, quod de ente possit haberi proprius conceptus, de quo intellectus possit esse certus; cum tamen esset incertus, an res, de qua haberetur talis conceptus, possit concipi sub conceptu proprio & per se accidentis, aut substantiæ; vnde non currit idem discursus in proposito vt patet ex dictis.

20. *Obiicies vltimo*: magis inter se cõueniunt Petreitas & Pauleitas, quam alterutra cum Bucephalitate: ergo conueniunt in aliquo conceptu communi.

Respondeo primò distinguendo antecedens: magis inter se conueniunt realiter, quatenus identificantur naturæ dissimili illi naturæ, cui identificatur Bucephalitate; concedo antecedens; formaliter & quatenus hæccitates, nego antecedens & consequentiã.

Respondeo secundò etiam distinguendo antecedens, sed alio modo: magis inter se conueniunt, & sunt similes similitudine proportionis non exigente prædicatum cõmune, quod sit fundamentum illius conuenientiæ, aut similitudinis, nego antecedens; sunt enim tam primò diuersa inter se, quam sunt primò diuersa à Bucephalitate: magis inter se conueniunt & sunt similes similitudine proportionis non exigente prædicatum positium vtrique cõmune; concedo antecedens, & nego consequentiã. Quod autem aliqua possunt habere maiorem inter se proportionem quam cum aliis, licet non conueniant in aliquo prædicato cõmuni vniuoce, suaderi solet exemplo hominis veri & picti qui non conueniunt vniuoce in ratione hominis, sed æquiuoce: & tamen magis sunt sibi similes & proportionati, quam alteruter esse lapidi.

Non credo tamen hoc exemplũ esse sufficiens, quia in illo conceptu, in quo cõueniunt æquiuoce homo pictus & verus, qui est cõceptus hominis, hoc est animalis rationalis, nõ sunt magis similes inter se, quã cũ lapide, cũ ille integer cõceptus excludatur æque ab homine picto, ac à lapide, & soli homini vero cõueniat. In illo vero cõceptu, in quo sunt similes, cõueniunt vniuo-

Indiuidua omnia quæ indiuidua sunt similia.

Impugnatur.

ce, sunt enim similes & proportionati in hoc, quod uterque habeat colores cum tali proportionem externa, & in hoc conueniunt vniuocē.

Alia exempla possent afferri de vltimis differentiis substantialibus, quæ maiorem habent inter se similitudinem & proportionem quam cum differentiis accidentalibus vllis, & tamen sunt primo diuersæ & non conuenientes in aliquo conceptu communi determinato. Sed re vera est eadem difficultas de his, ac de differentiis indiuidualibus, vnde non conducunt ad probandum aliquid de indiuidualibus. Sed nec est necesse adducere exempla, quando adest ratio, vt contingit in proposito.

QVÆSTIO III.

Utrum natura specifica reddatur formaliter indiuidua per positium, vel negatiuum.

21. **E**Xtra cōtrouerſiam est naturā specificā indiuiduatam, seu indiuiduum, esse incommunicabile formaliter, etiā vt incommunicabile dicit formaliter negationem cōmunicabilitatis: nam sine dubio in quolibet indiuiduo datur talis negatio, & illa dat ipsi aliquā denominationem, non aliam quam incommunicabilis: ergo indiuiduum est formaliter incommunicabile, vt incommunicabile dicit formaliter talem negationem, & cōstituitur etiam in esse incommunicabilis per huiusmodi negationē formaliter. Sed cōtrouerſia est, an ab illa negatione habeat per se primō constitui formaliter indiuiduum, vt indiuiduum dicit aliquid distinctum supra naturam, quæ de se formaliter non est indiuidua, v.g. à natura humana abstracta ab indiuiduis. Cuius cōtrouerſiæ pars illa, quæ dicit indiuiduum constitui formaliter per negatiuum, erit vera, si non requiratur aliqua formalitas positiua distincta aliquo modo à natura specifica ad cōstitutionem indiuidui, aut ad pullulationem illius negationis; seu si illa negatio possit sequi ad ipsam naturam specificā formaliter secundum se consideratam; si vero negatio illa nequeat sequi, aut pullulare ex illa natura, sed requirat necessario aliquam aliam formalitatem positiuam distinctam aliquo modo à natura specifica, tum indiuiduum constituetur per se primo in esse tali per illud positium, & non per negationem ad illud sequentem. Et hic est verus ac genuinus sensus cōtrouerſiæ; quod bene aduertendum est.

22. *Prima sententia est Henr. quod l. 5. q. 8.* Indiuiduum nihil aliud dicere supra naturam specificā, præter negationem diuisionis illius, quæ repugnat indiuiduo, quā tali, & consequenter indiuiduum per se primo constitui formaliter in esse talis per negationem. Ab hac sententia meo iudicio parum differunt in re ipsa *Nominales cum Occamo l. d. 2. q. 4. & 6.* qui existimant non oportere quærere principia indiuiduationis distincta à naturis specificis, sed omnem cuiuscumque rei singularis naturam esse seipsa singularem; nam non negant omnem talem naturam habere negationem comunicabilitatis, sed negant aliquod positium distinctum à natura, esse necessarium ad hoc, vt pullulet ista negatio; & consequenter intentum ipsorum est, quod indiuiduum non habeat aliquod principium positium indiuiduationis suæ distinctum ab ipsa natura specifica: quæ in re est sententia Henrici.

Secunda sententia est requiri quidem aliquid positium, quod sit principium formale & indiuiduationis & negationis illius, quā dicit indiuiduum, sed ab illo tamē positio non perfecte præcindi ipsam naturam, sed imperfecte: ita *Auerſa* supra sec. 2. & 11. & iuxta hoc conatur explicare primam sententiam.

Tertia sententia est requiri aliquid positium, à quo natura specifica perfecte præcindi. Hæc est communissima cum *Doctore 2. dist. 3. qu. 2.* & suis, quos sequuntur *Suarez dist. 5. Met. sec. 2. Fonseca 3. Met. c. 6. q. 5.* quæ etiam sententiam tenent Thomistæ inferius citandi, licet forte ex illis aliqui possent adduci ad secundam sententiam.

CONCLUSIO I.

23. *Indiuiduum dicit aliquid formaliter ultra id quod dicitur cit natura specifica.* Hæc est communis apud omnes, quæ

muīs in terminis videantur dissentire Nominales, qui tamen explicandi sunt iuxta primam sententiam præmissam. *Probat*ur, quia quando concipimus indiuiduum, concipimus aliquid incommunicabile pluribus cum numeratione, & quando concipimus naturam specificā non consideramus aliquid sic incommunicabile: ergo indiuiduum dicit aliquid formaliter quod non dicit natura specifica.

Confirmatur per probationes sequentis conclusionis.

CONCLUSIO II.

24. *Datur aliquod principium positium aliquo modo distinctum à natura specifica, quod sit principium formale indiuiduationis & negationis illius, quā dicit indiuiduum quæ tale.* In hac conueniunt authores secundæ & tertiæ sententiæ contra primam sententiam, prout communiter intelligitur, quia *Auerſa* illam sententiam sic explicat, vt cum sua conueniat. *Probat*ur conclusio primo, quia indiuiduum dicit formaliter aliquid supra naturam specificā, vt iam probatum est: sed non aliquid negatiuum: ergo positium. *Probat*ur minor, quia si quid negatiuum diceret, maxime negationem comunicabilitatis, quæ mediante repugnat, vt multiplicetur numerice: sed hæc negatio præsupponit aliquid positium, ratione cuius competit indiuiduo: ergo illud, quod dicit indiuiduum supra naturam, debet esse aliquid positium. *Probat*ur minor, quia omnis negatio competit alicui, vel ex ratione alicuius se tenentis ex parte fundamenti, vel ex eo quod tollatur à fundamento, aut non ponatur in ipso aliquid positium, quod posset in ipso poni; v.g. negatio rationalitatis in bruto præsupponit in ipso differentiam positiuam, quæ contrahit animal ad ipsam, & negatio albedinis competit ipsi ex eo, quod non ponatur in ipso albedo, aut ex eo quod tollatur ab ipso, aut ex eo quod ponatur in ipso nigredo, cum quæ non posset stare albedo, & ita de reliquis negationibus discurrendum est: ergo negatio comunicabilitatis competens indiuiduo, ideo competit ipsi, quia habet aliquod positium in se, ratione cuius competit ipsi, vel quia ponitur in ipso aliquid positium distinctum à se, vel quia tollitur ab ipso aliquid positium, cum quo posset esse; sed ex his tribus modis primus, & secundus probaret nostram conclusionem, quia daretur aliquid positium in indiuiduo quæ tale, ratione cuius competeret ipsi ista negatio: tertius autem modus dici nequit, quia nihil positium potest auferri ab indiuiduo, ratione cuius ablato competeret ipsi negatio comunicabilitatis, nisi comunicabilitas: sed hæc indiuiduo nequit competere: ergo negatio, quā dicit indiuiduum, competit ipsi ratione alicuius positiui, per quod manet probata minor principalis. *Probat*ur iam consequentia principalis, quia illud positium non est ipsa natura specifica præcise, vt talis, formaliter loquendo: ergo aliquid aliud. *Probat*ur antecedens, tum quia natura specifica, formaliter vt talis considerata, non concipitur vt indiuidua, nec vt habens talem negationem, imo potest considerari vt multiplicabilis, seu saltem, vt talis cui ex ratione sua formali non repugnat multiplicari, aliàs non posset considerari vt vniuersalis: ergo vt concipiatur indiuiduata, & cum tali negatione, debet considerari sub aliqua alia formalitate positiua.

25. *Vis totius huius rationis ponitur à Scoto breuiter hoc modo:* omnis negatio, quæ est repugnantia, aut quæ nequit separari à subiecto, præsupponit in subiecto illo aliquid positium, ratione cuius competat ipsi illa negatio inseparabiliter: sed negatio, quā dicit Petrus, nequit separari ab ipso, repugnat enim Petrum multiplicari numero: ergo præsupponit in illo aliquid positium: non naturam specificā: ergo aliquid aliud positium aliquo modo distinctum.

Dices: negatio, quā dicit indiuiduum, est negatio, à qua habet non esse, nec posse esse in pluribus, de quibus prædicetur cum multiplicatione: sed talis negatio cōpetit ipsi naturæ specificæ, quæ est in ipso: neque enim de facto illa natura, quæ est in Petro, est, aut potest esse in Paulo:

aliquid formaliter ultra naturam specificā.

Principiū formale indiuiduationis est aliquid positium.